



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. II. Deciditur quæstio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

PRÆMITTO 3. Quenam sint per alios prædicata actus primi intelligendi, quæ depuratis imperfectioribus condistinguntur adhuc sufficienter, & saltem intellectum in actu primo, siue ille sit actus primus remotus, siue proximus intelligendi. Quod attinet ad Intellectum in actu primo radicali, seu primo acceptum.

EXPLICAT 1. Arriaga, & numerat quatuor prædicata actus primi intelligendi radicalis. 1. Quod sit intellectum ut quod. 2. Quod sit substantia intellectiva. 3. Substantia personata. 4. Esse substantiam subsistentem intellectualem. Hæc explicatio

NON SATISFACIT 1. Quia tota distinctio inter actum primum, & secundum intelligendi totum debet penes fundamentum, quod habetur in creatis ad hæc duo distinguenda; dicta autem explicatio, non attendit ad hoc fundamentum, quod ipsum probatur; quia actus primus intelligendi remotus in creaturis, saltem ut modo concipiendi, distinguitur à substantia intellectiva; prædicata autem allata ab Arriaga ostendunt conditionem substantiæ intellectivæ, & non ostendunt formaliter conditionem actus primi, quod ipsum probatur; nam etiam substantia intellectiva est intellectiva ut quod, intellectivum personatum, subsistens & similia.

NON SATISFACIT 2. Quia actus primus radicalis, importat aliquam primitatem, quam nullo modo importat intellectivum ut quod: hoc enim non dicit plus, quam concretum ex ratione, & subjecto capaci; Ergo actus primus radicalis, non rectè explicatur per intellectivum ut quod: Tum, quia intellectivum ut quod, est denominatio totius; Ergo non quæritur intellectui radicali seu actui primo, qui non concipitur per modum totius.

NON SATISFACIT 3. Quia investigando; An. g. scientia competat Deo, malè quis diceret depuratis imperfectioribus manere hoc prædicatum scientiæ, quod sit substantia certò & evidenter noscens: Ergo & in præsentī malè diceretur, quod depuratis imperfectioribus, remanens conceptus actus primi intelligendi, sit substantia intellectiva; cum in nobis intellectus, vel intellectualiter distinctus, vel ad maximum quod verius est, concipitur per modum potentiæ, seu actus primi, Metaphysicè emanari, ex substantia animæ. Quod si dicas; salvari in Deo actum primum intelligendi, per hoc prædicatum, quod sit substantia intellectiva subsistens, & personata, non etiam non convincet; quia actus primus intelligendi si ponatur in Deo, debet esse quid commune omnibus tribus personis, & conveniens ipsi naturæ Divinæ quæ tali: & tamen non competit naturæ quæ tali esse substantiam personatam; non enim datur substantia personata, vel subsistens communis omnibus tribus personis. Ad solvendas Objectiones Arriagæ.

Noto. Quod prædicatum intellectivi ut

quod, etiam in creato intellectu reperitur; sed non tanquam distinctivum ejusdem ab omni eo, quod non est formaliter actus primus: convenit enim, ut dixi, etiam ipsi toti intellectuali. Concedi item potest, quod non solum personalitas, & suppositivitas inter se distinguantur; sed etiam terminabilia ab iisdem, hoc est, ab illa, natura intellectualis, ab hac, natura etiam irrationalis; sed inde non sequitur, quod per substantiam personatam, sufficienter salvetur, & distinguatur, actus primus intelligendi, ut jam dictum est. Et quamvis hic actus concipiat ut actus substantialis; quia tamen per dicta prædicata non condistinguitur à toto, nec ostenditur illius communitas ad omnes tres personas, fit, ut actus ille primus, non rectè explicetur per ly: substantia intellectualis.

ADDO. Quod in præsentī tractetur quæstio, quæ in utramque partem probabiliter agitari possit, affirmarique, vel negari salva fide; nemo autem fidelis negat quod Deus sit substantia intellectualis; Ergo apparet, quod hic responsio fiat per id, de quo non est quæstio.

EXPLICAT 2. Capreolus apud Arriaga dictum prædicatum; quod scilicet stet in perfectione intellectivitatæ fixa, & permanenti, quæ non convenit intellectioni, quæ est transiens.

IMPUGNAT Arriaga. Quia visio beata est intellectio creata; & tamen dicit permanentiam.

RESPONDERI potest, quod scilicet visio beata dicat permanentiam continuationis, sed non permanentiam per modum radicis, illiusmet ipsius continuationis; qualem radicem assumebat Capreolus. Eodemque modo solvi debet ratio petita à cognitione Angelica, à qua censetur Angelus nunquam abstinere. Hæc explicatio tamen

NON SATISFACIT, quia nihil speciale ponit, per quod distinguatur actus primus intelligendi ab ipsa substantia intellectuali: Quia etiam hæc est radix permanens, & fixa intellectualitatis.

Ut explicetur dictum prædicatum actus primi intelligendi. Sic

DIFFICULTAS II.

Deciditur Quæstio.

DICENDUM est. Dari actum primum intelligendi in Deo tam radicalem, quam proximum.

PROBATUR 1. Quotiescunque depuratis imperfectioribus manet adhuc conceptus proprius alicujus formalitatis reperibilis in creatura, illa formalitas potest tribui DEO; sed depuratis imperfectioribus ab actu primo intellectus creato, manet adhuc conceptus proprius illius; Ergo. Major probata est supra. Auct. S. Aug. & instantis, & insuper probatur, quia debent assignari aliqua communia prædicata Deo & creaturæ; alias si nihil commune haberent, vel Deus non esset vel creatura,

R. P.
H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tbm. Aet. Z.
D. VI
S

creatura, quod utrumque absurdum est. Sequela probatur, quia si ponas Deum esse, pones illum esse Ens; Ergo si nihil habet commune Deus & creatura, nec communem habebunt rationem Entis; Ergo cum illam Deus habeat, creatura illam non habebit; vel è converso: Sed ea ratio communis non potest cum imperfectionibus convenire Deo, utpote Enti perfectissimo; Ergo debet convenire de puratis imperfectionibus; quod ipsum volebat Major allata. Minor itaque principalis probatur: Quia seclusa potentialitate ab actu primo, quam excludit in Deo, formalitas actus puri, seclusa indifferentia ad hoc, vel illud noscendum, quam excludit omniscientia Divina, seclusa denique aliis, manet adhuc ratio vitalis principii immediati Intellectionis; hoc autem prædicatum servat conditiones requisitas, ut possit Deo tribui; nam primo hæc formalitas competit etiam actibus primis intelligendi creatis, nec convenit ipsi intellectioni actuali: hæc enim non est principium intellectionis, sed motus à principio: importat item formalitatem propriam actus primi; Quia actus primus rectè definiretur per dicta prædicata. Quod autem nulla in dictis prædicatis maneat imperfectio, quæ ulterius mente nostra de purari deberet, antequam probetur.

SUPPONO 1. Quod ratio principii nullam de se importet imperfectionem: nam dicuntur esse in Divinis formalitates principii, formalis ut quo processio, principii item remoti processio, &c. quæ non dicerentur de Deo, si ratio principii importaret imperfectionem.

SUPPONO 2. Quod ratio principii in Divinis non tantum competat ipsis principii, quæ fundant oppositionem physicam producentis & producti: Sed etiam conveniat & ipsis formalitatibus, seu principii quæ importat à principio solam distinctionem rationis; & ita natura est principium & radix Attributorum, Immenfitas Ubiquitatis, & cætera similia.

SUPPONO 3. Principium intellectionis in Deo, & in nostra sententia identificante potentias animæ, esse quidem ipsam naturam intellectualem; non esse tamen ex modo nostro concipiendi principium immediatum; eo quod à nobis concipiatur tanquam quid emanatum, ut eo anima utatur, ad formandas intellectiones. Si autem ponatur intellectus in Creatis distingui realiter ab anima, multo minus diceretur naturam esse principium immediatum intellectionis; Quamvis enim ad illam concurreret anima, simul cum intellectu distincto realiter, concurreret tamen nonnisi tali immediatione, quali anima mediis forcipibus, extrahit ignem ferrum. Hic autem ipse actus primus radicalis distinguitur per hoc ab actu proximo; Quia actus proximus dicit completio-

nem, & omnia requisita tenentia se etiam ex parte Objecti ad agendum, quam completionem non dicit, actus primus radicalis. Dixi autem, illud principium esse vitale; Quia etiam species impressa, & ipsum objectum, est etiam principium intellectionis immediatum in suo genere, si non effectivum, saltem completivum, non tamen vitale. Quod si vitalitatem etiam speciei tribuas, restringere poteris, quod scilicet illud principium, ex parte subjecti se teneat. *His suppositis*

PROBATUR Minor principalis: quia scilicet hoc prædicatum, nec importat ullam imperfectionem, ut dixi Supposito 1. Et quamvis intellectionem non principiet, physice adhuc potest habere rationem principii, ut dixi Supposito secundo; condistinguitque sufficienter actum primum radicalem, tam ab actu primo proximo, quam à natura intellectuali; Ergo dici potest de Deo, & verè, & secundum modum requisitum, ad talem affirmationem.

PROBATUR 2. Falsa est hæc negativa; Deus non est principium immediatum vitale intellectionis: nam hoc prædicatum importat perfectionem dignam Deo; Ergo erit vera hæc affirmativa, Deus est principium immediatum vitale Intellectionis; Ergo & hæc, Deus est actus primus radicalis intelligendi; Hæc enim se habent sicut definitio & definitivum. Et sicut stante omni simplicitate, potest intellectionis unius Objecti, non esse formaliter intellectionis alius Objecti, idque ex modo nostro concipiendi; Ita stante simplicitate inter Intellectum & Intellectionem, potest adhuc formari conceptus actus primi intelligendi in Deo.

PROBATUR 3. Potest Deus dici principium suorum Attributorum; Item Immenfitas principium Ubiquitatis; Ergo etiam potest Deus dici principium suæ intellectionis, immediatum vitale.

PRO hac sententia & prædicato explicato, citari potest Suarez, qui hoc prædicatum dicit esse in Deo vim Intellectivam, & Arrubal qui illud appellat virtuales productionem Intellectionis.

OBJICIT 1. Arriaga contra Suarez, quod scilicet etiam ipsa Intellectio sit vis intellectiva.

RESPONDETUR. In re vim intellectivam esse intellectionem, sed non ex vi modi nostri concipiendi cum fundamento in re.

OBJICIT 2. Idem, contra Arrubal; Quia hæc distinctio virtualis non esset ponenda, sine gravi necessitate; quæ hic non habetur: Neque enim hic verificantur prædicata realia Contradictoria.

RESPOND. Poni hic virtuales distinctionem in ordine ad prædicata non nisi secundò intentione.

intentionalia, ad quæ ponenda sufficit proportio in divinis, ad creata.

INSTABIS 1. ex eodem: Productio virtualis dicitur imperfectionem; Ergo non est admitenda.

RESPONDETUR. Si productio physica, productio item volitionis in divinis, non dicuntur imperfectionem, cur prædicta productio dicatur? Quamquam per nos non appellatur actus primus productivus, sed principium, quod ad plura extenditur.

INSTABIS 2. Non est explicabile, in quo ista sit hæc productio virtualis: neque enim potest ita explicari, si per impossibile in Deo distinguatur actus primus ab actu secundo, realiter hic produceretur ab illo, non inquam ita potest explicari: nam ponitur conditio, si ostendit ipsum illud, quod operari deberet: si enim daretur distinctio hæc realis in Deo, non esset hic Deus; consequenter perirent in illo illa prædicata, quæ habet, consequenter & prædicatum huius intellectus, consequenter ætunc causaretur dicta intellectio.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum de intellectu, in quantum in principiis Arriaga, & aliorum, dicitur esse virtualiter prior volitione, vel immensitas ubiquitatis, vel prioritas originis per intellectum, præ origine per volitionem. Directè autem dici potest: Quod eo casu, in re quidem mutaretur illud prædicatum intellectus, sed ex suppositione impossibili, posset non mutari, deque illud ex suppositione non mutando, procedit responsio: ut in simili dicitur in quaestione; An distinguatur Spiritus sanctus, si non procederet Filio.

OBJICITUR 3. Dicta explicatio petit principium: De hoc enim ipso queritur: An in Deo detur principium immediatum vitale intellectus?

RESPONDETUR. Sine petitione principii, neganti Petrum esse hominem, bene probatur per hoc esse hominem, quia est rationalis: Rectè enim definitum probatur per definitionem, quod & nos facimus in præsentia. Quæ autem negat definitionem, quomodo sit convincendus, dictum est in materia de pœnitentia ad initium disp. primæ.

OBJICITUR 4. Implicat contradictionem actualis intellectus habere prædicatum actus primi.

RESPONDETUR. Implicare ut actualis intellectus sit actus primus intelligendi physicus; præst tamen dari fundamentum saltem in ipsa intellectione divina actuali, concipiendæ formationis, actus primi.

OBJICIT 5. Quirós d. 35. Num. 11. Quia vel solum concipitur a nobis dictum prædicatum, vel propriè est in Deo; si primum, non sequitur a Deo dari actum primum intelligendi: quia

etiam ratione nostra concipimus Deum Patrem ut senem, nec tamen est senex; quia hoc prædicatum non potest salvari sine productione, respicientia, elicentia & cæteris similibus; quæ omnia ratio nostra, non potest affirmare de Deo; sicut nec actum primum accidentalem, vel esse corporei in Deo; quamvis à nobis concipiatur Deus per connotationem ad potentiam nostram accidentalem; & quamvis æquivalet ipsi.

RESPONDETUR. Modus noster concipiendi dupliciter se potest habere ad objecta: 1. Sine ullo fundamento in re, per solum usum quarundam specierum, in quantum illæ ad altiora noscibilia accommodari possunt. 2. Cum fundamento in re, eò quod v. g. de Deo proportionatè ad creata loquendo, sine ulla imperfectione dici possit hoc vel illud prædicatum: Priori modo nos habemus, cum concipimus Deum Patrem ut senem; posteriori modo, dum ponimus actum primum intelligendi in Deo, quem ex modo nostro concipiendi dico importare respicientiam, elicentiam &c. quæ omnia depuratis imperfectionibus, possunt convenire Deo, sicut convenit & realis ratio producti. Quare autem non detur in Deo actus primus accidentalis, vel esse corporei, id supra solum; quia scilicet nullus proprius conceptus accidentis, vel corporis, depuratis imperfectionibus, tribui potest Deo, eò quod ab illis salvo suo conceptu, depurari non possit.

INSTABIS. In creatis est possibilis juxta plures substantia intellectiva per suam essentiam intelligens actu; ergo Deus per ordinem ad illam, nec ratione nostra habebit actum primum: Si enim per ordinem ad actum nostrum primum, realiter productivum intellectus Deus sortitur denominationem actus primi; ergo etiam ex similitudine cum intellectu independenti ab actu primo, negari ei debet actus primus.

RESPONDETUR. Siquidem illa substantia ratione nostra habebit actum primum, Deus etiam per ordinem ad illam spectatus, habebit actum primum: Nam etiam tunc verum erit dicere; Hæc substantia intelligit, ergo in illa est vis intelligendi. Quod si omnibus substantiis intellectualibus essentialis esset intellectio, tunc verè adhuc in Deo reperiretur ratio actus primi; sed non reperiretur per ordinem ad nos: Quia non haberemus fundamentum, tribuendi illum Deo.

NEQUE VALET SI DICAS. Non reperitur in Deo ratio speciei impressæ, aut habitus, ergo neque reperitur formalitas actus primi intelligendi, non inquam valet; Negari enim potest, dari in Deo æquivalenter habitum; quia præcisè imperfectionibus manet in habitu prædicatum facilitandi, quod non est proprium habitus.

R. P.
H. MŁOD
Zianowski
Tbm. de Z.
D. VI
S

bitus: Nam voluntas summum bonum amat cum facilitate sine habitu, itemque appetitus sensitivus objectum delectabile. De specie impressa posset dubitari; potest enim illi assignari hoc predicatum proprium, Esse completum ex parte objecti per ordinem ad ponendam notitiam. Et sicut tribuitur Deo ratio substantiae completæ, nec tamen supponit ullam incompletionem indignam Deo; sic & in præsentia.

QVÆSTIO II.

De Objecto scientiæ divinæ in communi.

Objectum scientiæ divinæ est duplex; unum increatum, aliud creatum. De utroque hic agendum est.

DIFFICULTAS I.

De Objecto scientiæ divinæ increato.

PRÆMITTO I. *Non esse difficultatem in hoc, quod Deus cognoscat seipsum:* Quia alias non esset omniscius; nec foret beatus: Quia non haberet contemplationem summi boni, hoc est, sui. Denique, quia est impossibile noscere aliud, & non posse ex hac notitia devenire in notitiam sui ipsius, quod ipsum probatur: Quia vel noscit illa alia non esse ipsum, quod noscens est; vel noscit, esse ipsum, quod noscens est: si hoc secundum, ergo noscit seipsum; si primum, ergo adhuc noscit seipsum; qui enim dicit: Hoc quod nosco non est ego, si nescit quid sit ego?

PRÆMITTO I. *Neque in hoc esse difficultatem, quod Deus noscat suam essentiam in illa ipsa immediate:* Ratio quia est ita cognoscibilis, perfectissimoque intellectivo debet assignari perfectissimum intelligibile immediatum; hoc autem non est aliud, quam essentia; Attributa autem quæ talia, & prout cogitantur à nobis tanquam conceptus secundarii, non sunt ex modo concipiendi primum objectum, idemque dicendum de personis; quia hanc excellentiam infinitatis non habent, nisi ex identificatione cum natura. Addunt aliqui divinam essentiam esse objectum primum primum, & participatum; jam autem attributa & personalitates sunt objectum primum participans.

PRÆMITTO 3. *Non esse etiam in hoc tantam difficultatem; An Deus cognoscat sua attributa in sua essentia, tanquam in medio virtuali, idque quasi à priori:* Quia essentia ex modo nostro concipiendi in re fundato, est principium attributorum, adeoque respectu illorum habere potest rationem prioris. Ex attributis etiam à posteriori potest nosci essentia; Attributa enim ex eo ipso, quod attributa sunt, petunt cointelligi essentiam, cui attribuuntur.

DICES. Deus cognoscit se in se, ergo non cognoscit se in alio; hæc enim tollunt se.

RESPONDETUR, hæc duo tollere se in hoc sensu; quia scilicet formalitas & definibilitas huius cognitionis, non potest esse formalitas & definitio alius. Sed non tollunt se quasi se cum in unam realem notitiam, complectentem æquivalenter reliquas notitias perfectas, confluere non possint. His quæ faciliora sunt præmissis.

DICENDUM I. *Deum cognoscere se in creaturis tanquam in medio connexo.* Ita docet Herize, Franc. de Lugo, de Ribaz, & Arriaga. Nominis cognitionis in alio, venit cognitio unius propter connexionem cum alio, ita ut unum in recto noscatur, aliud in obliquo.

PROBATUR I. Noscit Deus hanc propositionem: Creatura est essentialiter dependens à me; ergo noscit se in creatura: Noscit enim se ex connexionem creaturæ secum, attingendo creaturam in recto, seipsum in obliquo, quod est, noscere in creaturis seipsum.

PROBATUR 2. Impossibile est noscere relativum transcendente, & non noscere terminum relationis: quia etiam impossibile est noscere relationem ut sic sine termino; sed creatura dicit ordinem transcendentem ad Deum, ut suppono ex Physica, ergo impossibile est illam nosci, & non nosci Deum; sed tunc noscetur Deus in obliquo: quia noscetur tanquam illud aliud, ad quod est Ad, seu Relatio, & creaturam noscet tanquam id quod dicit relationem; ergo ut dictum est, cognoscetur tunc Deus in creatura.

Neque dicas, hoc tantum tunc fieri posse, quando non supponitur objectum aliunde cognitum, supponitur autem Deus cognoscere se in se, non inquam valet, si id dicas; quia huius ipsius quaeritur ratio. Deinde quando aliquis cognovit Petrum, potest dicere transacta cognitione; Ego novi Petrum, alias dicens non diceret quod dicit; Dicit enim se novisse Petrum, & tamen non potest dicere, ut tu vis, Ego novi Petrum. Quod si id potest dicere; vel noscit, cuius illa sit cognitio, vel non noscit; si non noscit, ergo non potest dicere, se cognovisse Petrum; si autem noscit; ergo noscit id quod antea præcognovit. Cur ergo & Deus non noscet objectum, aliud jam cognitum.

PRO-